

~~M. d. 186a~~

nicht verhältnis
nicht PK

J. Rinckius Joh.

mcbs 21 - 40)

(Vor 31 enthalten
allein 30 Doppelblätter)

2 mit Widmungen
an Leopold

A. A. C. C.

Disputationum Physiolo-
gicarum Decima,

De M. L. B. 6.

T E M P O R E.

Quam

Divinâ benignè adjuvante gratia,
SUB PRÆSIDIO

M. TOBIÆ TILEMANI

VVitteb. Coll. Phil. Adjuncti,

Liberalis exercitij causâ ventilandam
proponit

JOHANNES BLAUFUSS

Monsterbergensis.

In celeberrimâ Wittebergensi Academiâ, ad diem 16. Mar-
tij, horis, locoq; consuetis.

W I T T E B E R G A E,

Ex officina typographica Martini Henckelij.

A N N O M. D C. X I.

Eccccc ccccc ccccc ccccc ccccc
Eccccc ccccc ccccc ccccc ccccc

*Viris verà animi nobilitate præstantissimis;
Magnifico & Consultissimo*

Dn. CHRISTOPHORO HENSCHER
RO Monst. U. J. D. Illustris Reipublicæ VVratisl.
Syndico, ejusdemq; Ducatūs, & districtu-
um adjunctorum Procancella-
rio dignissimo:

Clarissimo & Excellentissimo

Dn. DANIELI RINDFLEISCH BU-
cretio, Phil. & Med. D. ejusdem Reipubl. Physi-
co ordinario sollertissimo.

*Insigni Eruditionis & Virtutum Ornamentum
aducto,*

Dn. NICOLAO HANCKONI VVRAT
tisl. LL. Candidato.

*Dominis Mæcenatibus ac fautoribus suis
eternum honorandis, hoc, quicquid
est Academicī gym-
nasīatis,*

In gratiæ mentis argumentum D.

Johannes Blaufus
A. R.



CONTINUATIO.

DIFFICILIA esse, quæ pulchra sunt, ut habet nobile illud divini Platonis enunciatum, juxta cū pluribus aliis, etiam abundè demonstrat Temporis conditio, cuius tractationem ordinis monitu impræsentiarum instituimus. Pulcherrimum enim id est, si spectes, velab eā, quam nobis præstat commoditate, quā nihil utilius; Quia, ex Menandri assertione, parit, & educat filias duas ortu suo divinas, VERITATEM nimirum, & SAPIENTIAM, Gell. l. 12. Noct. Attic. c. ii. quarum splendidissima suavitas, mirificè ad sui amorem nullius non animum meritò accedit, Cic. & Plat. apud Stob. s. ii. Vel, quā insigniter claret, dignitate, quā nihil pretiosius; quia est ἀνέλαυνε τολυπλέστην & thesaurus Naturæ augustinissimus. Id. in vit. Anton. Laërt. l. 5. Senec. 9. Epist. cuius jacturā, nullam graviorēm exemplo M. Varronis nos quoq; rectè estimaverimus, eò quod ceteræ res omnes deperditæ recuperari queant, solo tempore excepto, quod eam ob rem à D. Bernh. irremeabile, à Virgil. 3. Georg. & 10. Æneid. irreparabile haud inconcinnè dicitur. Difficilimum autem, si estimes, vel à nimia, quam alit, subtilitate, quā nihil abstrusius; Quia natura ejus sublimis, intellectui nostro non tam est obvia, ut diakum in hoc orbe Elementari rerum, quæ sensibus sunt propinquiores: Vel ab opinionum maximā, quas varij de hoc fovent, diversitate, quā nihil intricatus; quia distractus, & turbat, vel ipso Philosopho teste, animum illarum multitudo, ut quid rejiciat, aut apprehendat, planè dubius evadat. Ac proinde non tam scitè, quam verè Augustinus dixit: In tempore vivimus, & quid Tempus sit, ignoramus. Non tamen propter difficultates, quibus obse-

pta est Temporis pulchritudo, penitus eam menti nostrae inaccessam esse redditam, existimandum est: sed, cum, veluti vulgo fertur, semper aliquid praestet nihilo, obnoxie laborandum, potius aliquantulum de ea ut per noscamus; si quantum nosse debbamus ingenioli nostri tenuitas, ipsiusq; rei sublimitas nosse non sinit. Commodum vero nostro (speramus) potiemur cupito, si tria illa, de quib. in progressa exercitatione dictum est, puta: Quod sit; Quid sit, & quæ affectiones, in Temporis quoq; tractatu fideliter attenderimus. Proinde in sequentia, missis ambagibus, ita notamus.

THESSIS I.

Manifestum est, & indubium, esse Tempus aliquod, illudq; Ens reale: Cum omnis motus certo Temporis tractu transigatur, ac nullæ adhibitæ animi operatione, una res sit diuturnior altera.

1. Ad progressum in scientiâ, præter ordinem nihil tam accommodatum esse, quam accuratam terminorum, vocationemq; ambiguitate laborantium distinctionem, nullus est, qui ambiget: Ideoq; & nos, ut expeditius procedere possimus, si antè omnia Temporis vocabulum, ab acceptione huic loco alienâ, absolverimus, haud, præter quod decet, admissuros existimamus. Amandamus igitur longè hinc eam, quam inspecie uniuscujusq; motus durationem denotamus. Secundum enim hanc plura sunt tempora, ut plures motus. Ultrò autem alteram illam validam acceptamus, quam in genere una illa communis omnium rerum mensura, quæ primò inhæret mobili primo, significatur. Quoniā ut motus ejus unus, ita & Tempus duntaxat unum agnoscimus. Conimbr. lib. 4. Phys. q. de temp. i. art. i.

2. Atq; ita acceptum Tempus, quamvis ὡς Δπὸ οὐκινῆς omnibus sit apertum, reverâ existere: tamen, quia nihil tam vero absolum aut absurdum; quin aliquibus arrideat, si qui fortè moti dubitationibus, partim ab Arist. 4. Phys. t. 88. &c. partim ab aliis adductis, id insufficientur, iis omnino etiam à principio obviandum est. Præterquam igitur, quod ipsimet se refellunt, dum carere nequeunt notionibus, quibus temporis partes, ac differentiae insigniuntur, ut: heri, hodie,

hodie, cras, perendie, annus, mensis &c. sacrarum quoq; literarum testimonio, Genes. i. v. 14. 8. v. ult. Eccl. 3. v. 11. Act. 1. v. 7. usq; Ephemeridum, Annalium, & crisium, quæ Astrologi, Historici, &c. Medici studiosè tractant, refelluntur. Deinde, cùm corporum caducorum motus mensurari queant, quænam præter Tempus, alia illorū constituetur mensura? Quomodo, si non sit, erunt Temporanea, quæ in continuo fluxu, & successione sunt posita? quomodo ipse motus, cui indissolubili nexu devinctum est, poterit subsistere? Et quid verò spei tandem, aut præsidii reliquum habent in illis dubitationibus? quæ tam nervosè; ac copiosè; à Tolet. in 4. phys. q. 12. Perer. I. 12. c. 1. Magir. I. 1. c. 10. & plurimiis aliis dissolvuntur, ut quicquam iis superaddere sit ἀρχὴ τοπομον. Φεάς ὁγύθεω, ut veteri verbo dictum est.

3. Porrò an Tempus sit Ens reale, quod citra mentis cogitationem in rerum naturâ existat; an verò tantum rationale, quod non nisi ab intellectu singatur, ita ut extra eum nuspia sit, paullò difficilior est quæstio. Hic enim jam Philosophi ab se mutuò desciscunt; inq; partes contrarias ab eunt. Quia tamen veritas cum iis facit, qui id Reale Ens dictitant, cum iisdem nos etiam meritò facimus, quibus veritatem, quantum licet, indagare est animus. Et quidni faciamus? Certè enim, si necesse est mensuram & mensuratum convenire generare, ut patet ex Arist. 8. phys. c. 9. 10. Metaph. c. 4. quo pacto Tempus Ens rationale erit? quippe motum, cuius ipsum est mensura, à ratione quis dependere audebit asserere? Postea, eliminanda esse ex disciplinâ reali Entia intentionalia, sua quemq; docet ratio: At ex Physiologiâ, tantum abest, ut Tempus quis eliminet, ut omnes, nisi qui fortè αἴρωσι τῆς διάβολας laborent, unanimi consensu illi soli vindicandum esse censeant. Ibi enim altera affectionum, quæ extrinsecè naturales res velut ambiunt, & circumstant, à nemine non constituitur species. Amplius: si est Ens rationis; quonam modo motus corporum elementarium fieri dicentur in tempore, si nullus sit, qui aetuali mentis fictione Tempus quasi fabricet, atq; in actum dederat? En vel fatuo absurdum: Facere præterea huc potest, quod luminaria in altissimo mundi Amphitheatro ideo à DEO sunt collocata, ut sint in signa, & Tempora, ut scriptura loquitur. At quorsum opus id facere fuisset, si temporis existentia ipsi tantum rationi nostræ sit ad-

A 3

scriben-

Scribenda? Si demum per se, seclusa, operatione mentis prius & posterius in motu est, ut extra omnem dubitationis alciam possum esse qui quis intelligit; cur praeteritum & futurum, quae priori & posteriore motus parti respondent, reale quid in tempore esse negabimus? Res enim adeo diversa non est motus & Tempus, id quod abunde sagis apparebit ex iis quae mox subsequentur.

T H E S I S I I.

Quid verò ipsum sit, res non ita liquida est: Vnde veterum quidam Tempus esse dixerunt vel celi conversionem; sed falso: vel ipsum cælum; at absurdum: vel motum ipsum; verum minus verè l. 4. Phys. t. 93. & seqq.

1. Quandocunq; variæ sunt de aliqua re opiniones, ait Cic. i. de nat. Deor. eæq; inter se dissidentes; alterum profectò fieri potest, ut earum nulla; alterum certè non potest, ut plus unâ vera sit. Itaq; in disquisitione ~~ad~~ Temporis illud non potest non etiam usu venire. Ibi enim tres insigniores nobis offeruntur sententiae, quæ sibi invicem gravissimè contrariantur. Ac prima, quam Alex. & Theophr. Platoni adsignant manifestè falsa est. Ut enim quævis pars circuli non est circulus, ita etiam circulationis, sive circularis cœli conversionis pars, non ipsa est circulatio sive conversio. Esset autem omnino, si ea esset Tempus. Quia partes hujus sunt homogeneæ, ita ut nulla sit, quin sit Tempus. Adde quod plura essent simul tempora, id quod tamen successio, in qua Temporis subsistit essentia non patitur. Sunt enim conversiones plures, quia plures cœli orbes. Arist. 4. phys. t. 93. & ibi Conimbr. & alij.

2. Pythagoras, ut vult Simplicius, secundæ opinionis autor est, cuius argumentationem velut ineptissimam proponens Philosophus d. l. t. 94. refutatione dignam non habet, propterea quod nulli non, nisi qui cucurbitas lippit, appareat, quam ridiculè inferat, quamq; frivola includat, nempe, quod plura inter se diversa sint unum; velut affectio, & quod cœlum afficitur; Quod locus re sit idem, quod Tempus, cum non minus in loco, quam in tempore quid esse dicatur; & id genus innumera.

3. Restat tertia, quæ aliis speciosior applausores sibi adscivit Stoicos, & alios aliquot, de quibus Simpl. in digress. de Temp. & Cœl. in lap.

in lap. Philosoph. p. 519. videlicet, Tempus nihil aliud esse, quam Motum cœlestem, propterea quod is rerum durationem, atq; actionem dimictriri videatur. Quid enim, inquiunt, annus, nisi una periodas, sive progressio Solis per duodecim signa Zodiaci? quid Dies, nisi Solis à puncto nostri Horizontis orientali ad occidentale decursus? &c.

4. At nec isti veritatis scopum attigerunt, in eo fa^l, quod nullâ prorsus ratione tempus à Motu distinguunt. Nam, quamvis & nos negare non possumus, quod re ipsa inter se convenienter tamen eadem etiam omnimodo non esse statuimus. At convenientia quidem in eo spectatur, quod Tempus per motum definitur, ut ex th. sequenti patescet. Perer. l. 12. c. 1. & seq. & quod ab eo separatim nec esse, nec fangi, aut percipi potest Cas. p. 633. Quippe tūm demū quid illud sit scio, quando apprehensa priore & posteriore motus parte motum ipsum distinguo. Arist. d. l. t. 100. Discrepancia autem, quod præterea Tempus infert, & ut Id. Per. d. l. inquit, motui addit, numeratum esse secundum prius & posterius. Per se enim motus consideratus re est individuus; ratione tamen aliquam (ut est natura continuorum) distinctionem admittit, secundum quam, si numeratus sit; ipsum Tempus evadit. Ex quoclarum sit ac perspicuum realēm istam disrepantiā non esse, ci^o ejus pendeat adeò à communi mentis nostræ institutione, ac circa hanc existentiā prorsus destituatur. Nam, ut exemplo rudiūs id persequamur, quando lignum ad metiendum quid ordinamus, tum id in se quidem manet lignum sed existentiam tamen aliam adquirit ex relatione illâ, quæ in ipso formatur ad illud, quod eo mensurare intendimus. Sic ergo & in motu se res habet. Atq; ob eam rationem annus non est propriè ipsa solis per integrum Zodiacum progressio: sed distincta secundū partem priorem, & posteriorem progressionis diuturnitatis, quâ sci- licet ea continuo quasi fluens in id punctum, à quo primū cœpta est, demum revertitur. Idem de die, & similibus teneatur judicium. Addit præterea Philosophus evidentissimum hoc, quod motus tantum mobili inhæreat, tanquam proprio suo subiecto, nec possit esse, ubi illud non est: Tempus item sit externum quid circumstantis quasi omnia simul, quæ passionibus naturalibus sunt supposita. Neq; verò attributis etiam destituitur, quorum quædam obtinet, quæ ab essentiâ motus prorsus sunt aliena. Arist. l. 4. phys. t. 95. 96. & 109. inf. th. 5. & 6.

THE

THESSIS III. q. dicitur.

Sed enim rei in veritate nihil aliud est, quam numerus motus secundum prius & posterius. l. 4 phys. t. 101.

1. Accedimus nunc sine ulteriori circuitione rectâ ad definitiōnem, quā Aristoteles τὸ οὐεῖ Temporis apertius, ex suâ, eaq; verâ sententiâ, in lucem producit. Et quidem ut veram, ac legitimam eam esse pronunciamus; etiamsi forsitan non æquè omnibus satis perspicuâ oratione contexta videatur: ita cunctis in universum, quæcunq; ab aliis vel effectæ sunt, veleffingi possunt, longissimè præferendam putamus. Vix enim dari poterit, quæ non incurrat gravius aliquod vitium, vel quod genus æquo aut latius, aut angustius adsignatum habeat; vel quod alias ad rem illustrandam minus sit apposita, ut est in propatulo ei, qui vel aliquâ ex parte ejus perspectas habet difficultates, ut miranda sit Aristotelici ingenii etiam heic perspicacia. Abundare tamen suo sensu permittimus, si qui à sapientiæ parente (ita Aristotelem alicubi nominat Magnus Scaliger) hac in re doceri non necessum habeant, nisi nos manuductione in difficiili hujus materiæ viâ carere non posse, nequaquam diffitemur.

2. Sed ut, quod dixi, ita esse, elucescat, singulas definitionis partes considerare aliquâ. Labet diligentius. Numerus itaq; primò in eâ generis loco adhibitus se offert, quem Tempori competere signo, hoc est, ut Perer. l. 12. & Tolet. explicant, à posteriori ostendit Aristoteles t. 102. quia nempe Temporis officium sit mensurare plus, minusve in motu. Et verò non nisi numero multitudinem rerū æstimare soleamus. At cum numerus sit vel Numerans sive à rebus abstractus, & numeratus sive cum rebus concretus, non immerito quæritur, uter horum tempori conveniat. Non prior, quod vel Hippocrate cæciori appetit. Arist. d. l. Ergo posterior. Atq; hic iterum in dupli est differentiâ, vel qui ex partibus re ipsâ concretis coalescit, ut binarius duorum hominum, vel qui ex partibus ratione tantum disjunctis constituitur. Conimb. in l. 4 phys. q. 1. art. 2. Nec illi quidem aptus est temporis tribu. Motus enim cuius dicitur numerus, est continuum quid, partesq; habet sibi cohærentes, & solâ intentis cogitatione separatas. Superest igitur iste.

3. Cete.

3. Ceterum sentimus heic enasci, quod graviter queat ferire ea;
quæ sup. th. I. m. ult. firmavimus; nisi in tempore id, quod omnium
primum est, succidamus. Movent enim quæstionem satis arduam,
utrum; cum Tempus sit numerus, etiam existat citra animæ conce-
ptionem? Et dicendum quidem videbatur, quod non; quia numerus
per quem Tempus definitur, dependeat ab anima, quæ numeret. Et
quod partes Temporis non sint, nisi quando per actionem animæ
concipiantur in intellectu. Sed futile rationes, si recte æquâ animi
trutinâ ponderentur. Primo enim Numerus est quantitas. Quantitas
autem ab animâ non dependet, sed quantitatis tantummodo appre-
hensio. Deinde etiamsi partes Temporis simul esse nequeunt, suffi-
cit tamen, ut esse dicantur, si realiter per instans connectantur; quia
est Ens successivum. Adde quod hoc modo partes motûs negantur,
quas supra neminem sanum negare posuimus, quia & harum neutra
unquâ est, præter unum illud momentaneum (Aristoteles mutatum
esse nuncupat) quod puncto indivisibili respondet, & partes illas in-
vicem copulat. Sed, inquis, in Scyllam videris incidere dum Char-
ybdin fugere laboras. Dum enim dependentiam Temporis ab ani-
mâ negas, quid aliud agis, quam quod id undiquaq; cum motu con-
venire asseras? Haud ita facimus. Duo enim continet tempus mate-
riale & formale. Materiale ut subsistat non eget animæ adminiculo.
Formale eget. Quia cum quidditas Temporis in eo versetur, quod
est numeratum esse secundum prius et posterius, non potest nonrela-
tionem ad animam numerantem includere: non quidem quâ quati-
tatem sive durationem motûs simpliciter ea apprehendit: sed quâ ap-
prehensam secundū numerabilitatem partium, quas singit, discernit.

4. Cujusnam verò rei Tempus esse numerus definitur? Id potest
vel ex acceptione, quam hujus loci propriam diximus, satis clarum
esse. Neq; enim motum quemcunq;, sed cum, qui est primi mobiles
nos intelligere notavimus. Hic enim est primus, minimus, unifor-
mis, certissimus, ac communissimus 2. de cæl. c. 6. t. 35. Perer. d. l.
c. 4. Scal. ex. 61. s. 3. & 6. s. 2. ubi cælum omnia esse ait, potestate
efficiendi. Ideoq; ut reliorum omnium motuum causa; ita & du-
rationis eorum intrinsecæ externa est mensura. Arist. d. l. t. 133. Tol.
d. l. q. 16. concl. 1. & 2.

5. Ad oportebat in definitione Temporis mentionem fieri non

B

tantum

tancum motus; sed etiam quietis? Corpora enim non minus in tempore quiescunt, quam moventur. Verum: si dextrè accipias. Sed non illud, quod inde infertur. An enim in primum mobile, cui tempus intrinsecè, subjectiveq; inhæret, cadit quies? An si ratione tantum à motu differt, per id, quod motui contrarium est, definiri nullo modo poterit? Sanè quam motus non est quies: tam quietis appellationem, vel definitionem tempus non posse sortiri videtur. Neq; per se in Tempore corpus aliquod quiescere, statuimus. In tempore enim esse, est mensurari tempore, ut docet Arist. t. 115. & ibi Tolet. & Conimbric. Quod autē quiescit per se tempore non mensuratur, quia prius & posterius, secundum quae mensuretur, non habet, nisi quantum quievit, tunc moverit, tantum potuisse fingatur, ut eleganter Per. d. l. c. 3. ostendit.

6. Demum ultima sequitur definitionis particula, quae demonstrat, quo pacto motus accipiatur esse numeratus, videlicet secundum prius & posterius. Ubi observandum id fieri eā ratione, quam motus tenet in ordine ad spaciū, super quo fertur; quae est propria ipsius continuitas. Quemadmodum enim is, dum cietur mobile, alias partes spaciī prius, alias posterius decurrit; Ita alias sui fluxūs partes prius obtinet, alias posterius, ut pulchre habent Dd. Conimb. Atq; ita sensus definitionis est: Tempus esse motum secundum suas partes numeratum atq; distinctum; Aut, quod eodem recidit, partes motūs, pro ut durant, numeratas.

T H E S I S IV.

Ex definitione hac est in aprico, quod, licet Tempus sit continuum quid, ratione tamen habeat partes discretas; præteritum scilicet, & futurum: quas partes distinguit, & intersecat nō vñ sive præsens. lib. 4. phys. t. 88.

I. Quia, ut Aristoteles ostendit d. t. 100. sicuti magnitudo ad omne mobile necessariò interveniens, quam alias etiam spaciū sive locum nominant, est continua, & ratione tantum τῇ ἡσει prius & posterius habet: sic motum continuum esse, atq; eadem illa τῷ ἐπει τῷ αὐλογα in fluxu obtinere oportet. Atq; hinc etiam Tempus. Äquale enim hoc est motui, & exactè priori ejus respondet hujus præteritum; posteriori futurum: Tolet. & Conimb. heic, Cas. p. 633. Ratio autem

autem illa Partium in eo consistit, quod cum intellectus noster percipit aliud, quod in magnitudinis termino priori fuit, & aliud, quod in posteriori ejusdem erit, singit, & quasi format in eâ partes, quae ratione tantum separatae realiter per id, quod jam est, uniuntur. Et iisdem correspondentes una etiam in motu non possunt non, & in tempore, formari.

2. Excludimus autem rō vñ partium Temporis consortio, propterea, quod inter id, & Tempus ipsum, non sit proportio, quam pars habere solet ad totum d. l. Phys. t. 89. Neq; & quod partis erat proprium, si vel innumerabiliter id multiplices, unquam vel exiguum Tempus poterit constituere; quia est quiddam indivisible, instar puncti. t. 107. & lib. 6. t. 24. Adhac, cum Tempus sit successivum, requiritur, ut quid sit, quod partes ejus ratione tantum divulsas, realiter contineat, ac continuet. Præter hoc autem aliud nichil est. Hinc duplii id insigne est relatione; unâ ad præteritum, quod finit: alterâ ad futurum, quod inchoat d. t. 24. & seq. Deniq; nec prorsus esse Tempus videtur, siquidem nec motus nec quies in eo sit. cod. l. 6. t. 28. & seq. Fieret autem si esset pars. Nam etiam pars Temporis est Tempus. l. 4. Phys. t. 93.

3. Sed quid? si tempus unum & idem ubiq; simul est, quemadmodum docet passim Aristoteles, propterea, quod ἡ μεταβολὴ, ἡ μὲν παρόσα, μία τ. 10. partes istae temporis sunt nec etiam omnino cædem simul? Neganti Aristoteli nos adsociamus. Tempus enim est Numerus: prius autem & posterius, secundum quæ illud est numerus, semper sunt diversa, quoniam ἡ μεταβολὴ, ἡ μὲν γεγενημένη, καὶ ἡ μέλλουσα, ἐπεξεγ. Idcirco & præteritum ac futurum, quæ illis correspondent variare oportet ad variationem τῶν νῦν ratione materiali in partibus illis ἐπεξεγων. Licet enim tantum modounum Nunc formaliter in Tempore esse concedamus, quod fluxu suo semper continuatur, Scalig. ex. 352. s. 21. tamen id sub diversis partibus motus aliter atq; aliter se habet: velut ipsum mobile, quod etiam unum est, & tamē sub quantitate locovè diverso non similiter est affectum, d. l. t. 103. & 104. Ex quo videtur, accipiendum illud esse, si partes istae ratione modo separatae continuatione non coalescere, inq; præsenti simul esse, considerentur. Id quod etiam argumentum, quo probatur Tempus ipsum idem omnino simul esse, & Hypothesis in textu addic-

evincit. Non enim frustra, & sine consilii effectu positum esse consé-
taneum est ($\eta\mu\delta\nu\pi\alpha\gamma\sigma\omega$). Et veluti numerus Centum hominum,
& centum equorum utrobiq; simul idem est; homines tamen &
equi, quorum est numerus, inter se non sunt iidem, aut simul: Ita
 $\tau\delta\upsilon\upsilon$ sive præsens præteriti & futuri, quod ea conjungit, omnino
idem & simul est, unumq; Tempus facit, non tamen præteritum
quoq;, & futurum, quorum $\tau\delta\upsilon\upsilon$ illud est. Conf. Perer. d. l. 12. c. 4.
Cas. in lap. phil. l. 4. c. 10.

THESIS V.

Ad extremum attributa Temporis præcipua sunt hæc: 1.
quod dici queat Paucum, & multum, longum & breve. l. 4.
Phys. c. 12. 2. Quod ut unus idemq; motus redit: sic & idem
Tempus. Ibid. t. 3.

I. Postquam quid sit Tempus aliquomodo contemplati sumus,
attendendum nunc ulterius nobis est, fieri, non solum, ut Tempus
motum metiatur: sed contra etiam, ut motus metiatur Tempus.
Arist. d. l. t. 112. Idq; propter proportionem eam, quam ad se mu-
tuiter habent. Atq; ita Tempus, cum multum ac paucum dicitur, non
quod mensuret motū, est intelligendum. Nam sic una id, ac commu-
nis est mensura omnium motuum. Unum autem quod est, multum
ac paucum dici non potest: sed quod mensuretur à motu, Aristot.
d. t. Sicuti in horologio arenario videre est. Fit autem id, quatenus
est numerus, ut expressè inquit Aristoteles. 109. & quidem nume-
rus numeratus; non tamen secundum prius & posterius, aut plures,
quas quis fingere possit motū partes, ut ineptè censet Cas. p. 656.
sed secundum plures motus Aristot. & Per. d. l. & alii, quorum qui-
dem licet aliqui verbis à nobis discrepare videntur, planè tamen in re
consentunt. Nec obstaculo est, quod si plures partes motus singan-
tur, plures etiam sint partes temporis, quæ & ipsæ Tempus sint. Sanè
enim, si partes illas inter se conferas, non quā sunt partes continui
re ipsa cohærentes; largimur. Nam hoc modo non plures motū
partes, sed plures diversi motus singuntur. Si vero accipias, quā mu-
tuο nexus copulatae se invicem sequuntur; cur malis impropriè plura
tempora, quām propriè plures Temporis unius partes appellare?
Similitè se res habere videsur, cum id dicitur Longum & breve.
Nam

Nam si accipias Tempus, ut mensurat motum, unum sibiq; æquale semper existit, ac proinde longum aut breve non est. Si autem ut à motu mensuratur sumas, pro longitudine aut brevitate continuitatis in motu, longum aut breve evadit.

2. Alterum in hac thesi positum temporis attributum est, ejusdem scilicet Temporis revolutio, ut anni, veris, æstatis, diei, &c. Quandocunq; enim motus idem redit, non potest non simul etiam idem Tempus redire. Idem, inquam, non numero; Id enim evanescit: Sed specie, secundum quam id perpetuâ successione viget. Conimbat. ad t. 110. Isq; sensus est illorum, quæ supra in Continuatione ex veteribus memoravimus, quod non sit revocabile Tempus; idem videlicet numero. At forsitan inquis: Aristoteles affirmat, unum eundemq; motum, unum idemq; Tempus redire: sic enim ejus verba habent, οὐνοι τὸν ἀντὶ τὸν ἡγή μίαν &c. Convenit ergo prorsus etiam numero motus & Tempus rediens cum modo præterito. Negamus hoc, ὅτι οὐ τούτης ἐνότης τίς δρι. Latè igitur accipit illud Aristoteles, pro ut iis etiam competit, quæ specie idem sunt, non strictè; ut numero separatis duntaxat. s. Metaphys. c. 9.

THESSIS V I.

3. Quod motui conferat quedam accidentia, ut alius dicatur regularis, aliis irregularis, aliis velox, aliis tardus. 4. Demum, quod eo metiamur omnes res ortui & interitui, aliisq; mutationibus obnoxias. Ibid. t. 118.

1. Tertium hoc contingit tempori, propter perpetuam ejus in fluxu successionis æquabilitatem. Nunquam enim ipsum vel citius vel tardius labitur. Ac quamvis à Poëtis & vulgo ei id adscribatur, ut si, quod ad aliquod negocium expediendum destinatum erat, non sufficiat, citius ideo abiisse putetur: Tamen id sit sine ulla evidenti ratione, & per accidens, quod vel negocium plus temporis destinato requisiuerit, vel qui gessit negocium ei nimis intentus, motum interim non attenderit, quemadmodum etiam accidit iis, qui post longiorem somnum experrecti, vix horæ quadrantem se dormivisse autemant, ut & videre est in exemplo Epimenidis, de quo

B 3 Phinius.

Plinius l. 7. & Laertius in ejus vitâ. Quâ de re rectissima potest merito esse motuum in mundo naturalium mensura & Canon. Quippe hinc estimamus eos regulares qui æquale; Irregulares, qui inæquale, æquali tamen tempore conficiunt spaciū. Mag. l. l. c. 10. Veloces autem judicamus, qui brevi tempore longum: tardos qui longo tempore breve loci intervallum absolvunt. Id. ibid. Et hoc est, in quo Tempus à motu differre supra innuimus.

2. Ultimi demum attributi occasione in primis hēc animadver-
tendum: Non omnia, quæ sunt, subesse Tempori. Licet enim ali-
qua sint, quando Tempus est: Non tamen eo ipso ei subjiciuntur,
ut nec id statim in loco est, quod cum locus est subsistit. Sed id quod
vel est pars, aut affectio Temporis, vel (qui modus solum proprius
est) eo mensuratur, & quasi circumscribitur, tam quo ad esse ipsum,
quam quo ad moveri. d. l. t. 114. Atq; exinde in proclivi est videre,
Deum & mentes absolutas, sive Angelos temporis excludi imperio.
Quia enim mensuram oportet esse mensurato externam, qui Deo
& Angelis tribuetur, qui extra se nihil habent? Neq; etiam Deo
quid accidere potest, quod non sit Deus, Scal. l. 3. Poët. 112. ex. 359.
l. 8. quia est ἀβύτην τοις οὐκὶς αὐτογένεσις. Si accidit, & omne quod
accidit essentia ipsius est: nonne erit imperfectissimus? quæ res enim
tā est nulla, quam Tempus? Quid quod propter motum quid est
in tempore? Deus autem & Angeli motui Phisico non subjaceant,
nisi compositi, aut corpora naturalia esse afferantur. Adde si corpo-
ralium locorum finibus non coarctantur, ut evincit sufficienter
sacræ scripturæ, Patrum, & Philosophorum, tum veterum, tum
recentiorum autoritas, temporis quoq; ambitu non continebuntur:
si quidem secundum quod locus, secundum idem etiam tempus re-
bus solet competere, ut haud obscure passim ex Arist. colligitur.

3. Præterea D. lo ex communi omnium suffragio convenit
Æternitas, Angelis ævum, quæ sunt species durationis à nostrate
diversissimæ: Cum enim motus rerum naturalium, cui suam Tem-
pus acceptam fert existentiam, ab alio pendeat, eoq; Principium &
finem habere oporteat, & quæ illud his non privatur. Et planè, ut mo-
tus, sicut eleganter Casus inquit, p. 649. existentiam semper in fluxu
et quasi undis natantē ac nutantem habet: Ita quoq; tempus in nulla
consistit permanentia. Æternitas autem & ævum propriè semper esse
suum sta-


stable, atq; immutabile, sine omni momentorum discretione eo-
tum simul retinent, August. de ver. relig. c. 49. Taurell. de rer.
ætern. p. 81. & 540. Boet. 5. de consolat. Lactant. de op. c. 17. Philo.
in l. de mundo. Cic. 1. de nat. Deor. Perer. d. l. c. 9. ac non discre-
pant, nisi quod illa principii omnis, & finis, hoc tantum principii
expers. Nec est, quod ex recentiori Philosophiâ quis insurgat,
Tempus Deo, & Angelis competere quia & ipsum sit æternum Arist.
d. l. t. 125. 2. Timoth. 1. v. 9. Tit. 1. v. 2.: Argumentum enim quo id ad-
struere nititur Aristoteles, ex falsâ suppositione procedit. Erit enim
omnino Nunc aliquod, quod non continuat, nec finit, sed tantum
inchoat, in creatione scilicet omnium rerum: Erit item aliquod
quod tantum finiet, cum universale totius mundi judicium exerce-
bitur, de quo in Apocal. c. 10. v. 6. In sacris autem abusivè, pro lon-
gissimo tempore, plurimumq; seculorum continua successione ponit
tur, cujus terminus notari à nobis ac percipi non potest, Perer. l. 12.
c. 8..

4. Tantummodo itaq; in illa propriè jus suum Tempus obtinet,
quæ variis, & propè momentaneis mutationibus sunt exposita, &
mox florent, mox iterum flaccescunt. Hæc enim illi sunt analogæ,
quia ut Tempus haber partem post partem, nec totum simul est; Ita
& motusistarum rerum sublunarium. Nec id excedant: quia nullius
motus quantitas, secundum quam quid temporis subjicitur c. 119.
tanta est, ut temporis universum sumptu quantitate sit superior. Lite
autem heic nobis quis moveat, quomodo mensuram esse, Tempori
propriè non competit, ut testantur Per. Tol. Conimb. Cas. & alii:
cum tamen non aliter, nisi quæ est mensura, sit extrinseca rerum
naturalium affectio. Deinde quomodo tempus extrinsecè accidat
communiter rebus naturalibus, cum tamen ipsi mobili primo, quod
non minus, atq; alia, res est naturalis, intrinsecè inhæreat. Resp. inde-
mus ad i. rectè dici non proprium Temporis esse mensurare motum.
Negari tamen etiam non posse, quod ubi jam ejusmodi sublata est
inter mensuram & mensuratum relatio, nihilominus remaneat, pro-
pter quod ea primum fuit constituta. Idq; sufficit ut etiam quid alte-
rum afficiat externe. Ad alterum, materiale radicari in primo mo-
bili, nempe motus ratione distingvibilis: non autem formale, quod
est motus illius actualis distinctio, ipsi aliunde accedens, ut haud ob-
scure patet ex definitione superiorius enodatâ.

5. Atq;

5. Atq; sic haec tenus, ut potuimus; nō ut debuimus Temporis natu-
ram contemplati, finem eram9 facturi: nisi in mentem venisset nobis-
sime illius quæstionis, quæ ab Aristot. t. 117. ejusq; Interpp. ad illū
commentantibus moveri solet, utrum nimirum aliqua sit Temporis
efficacia, quo ad res hæc naturales. Eam ergo quoq; sub brevem
ventilationem coronidis loco vocare libuit. Pro affirmativa stat
communis loquendi consuetudo , & Poëtarum, aliorumq; autori-
tas. Tempus enim sapientiam, ac rerum vel scientiam, vel oblivione
affert; Veritatem , & quæcunq; latent, in lucem producit; cuncta
secum trahit; mæstitia medetur; artes invenit; nihil non efficit,
moderatur; corrumpit: Simonid. Virgil. Menand. Cornel. Gal.
Diphil. Cic. & alii. Summa: nihil majus Tempore robur habet. Ovid.
4. de Ponto, Eleg. 8, Quin immò & ipse Aristoteles ei vim, quam in
res suæ tyrannidi subditas imprimat, evidentèr adsignat, quando id
magis corruptionis, quām generationis causam esse ostendit, d. l.
quod res istæ fragiles & caduçæ à primo generationis momento sta-
tim declinent, nutentq; rursus ad corruptionis sepulchrum Cas. p.
660. Sed enim nos negativam tuemur, ita tamen, ut communem
loquendi consuetudinem, veterumq; , & in primis Philosophi auto-
ritatem sartam teatamq; præstemus. Nam quā vi accidens, quo nul-
lum in ertiis, & quod totum ab alio dependet, per se quid polleat
efficere? Illa sanè omnia, quæ per se motui tantum conveniunt, tem-
pori impropriè adscribi possunt, quia id illi inseparabiliter adjun-
gitur Magir. l. 1. c. 10. Sicq; ipsum Aristotelem sensisse contra Car-
danum asserere videtur scal. ex. 352. quādo demonstrat sententiā eam
ibi proponere Aristotelem, quæ quò vulgo propior atq; usitator,
eò longius absit à subtilitate. Hebes enim vulgi ingenium, quia ve-
ras ignorat causas, spurias undecunq; assumit, neq; penetrat inter
ipsam causam & ejus effectum, quemadmodum solet sollers naturæ
speculator, ut idem Scal. alicubi loquitur.

Tantum etiam dc alterâ hac eaq; extrinsecâ corporis na-
turalis affectione: Sicq; nōs generalem Physio-
logiæ partem hic, cum D E O,
finimus.



Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan